



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Sectio prima. De testimonio Genes. 40. Non auferetur sceptrum, &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

& in vſu ſapientum fundamentum habent. Hæc autem incarnationis vox in ipſo myſterio, quo Verbum caro factum eſt, & in his eiſdem verbis, quibus Euangelista Ioannes illud explicuit, fundata eſt. Nomen vero carnis tam in verbis Ioannis, quam in voce incarnationis non excludit animam, ſed ab ignobiliore parte integram humanam naturam ſignificat, vt Ambroſ. & Auguſt. variis locis adnotarunt: & optimè Cyrill. Alexan. lib. de Incarnatione Vnigeniti, c. 24. & D. Thom. 4. contra gent. cap. 33. Et fundamentum habet in frequenti vſu Scripturæ ſacræ, in qua nomine carnis totus homo ſignificari ſolet, vt conſtat Genef. 6. Omnis quippe caro corruerat viam ſuam. Et Luc. 3. Et videbitis omniſe caro ſalutare Dei. Ad Rom. 3. Ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro coram illo, & ſæpe alias. Hæcigitur ratione ad ſignificandam humanæ naturæ aſſumptionem, antiquiſſimi, & lingue Latinæ peritiſſimi Patres vniuntur hac voce. Leo Mag. concione 2. de Natiuit. Laſan. libro 4. diuinam inſtitutionem, capite 11. Cyprian. lib. 2. contra Iudeos, capite 2. Auguſtinus 9. de Ciuitate, capite 17. & Hieronymus in id Marc. 1. Non ſum dignus ſolite corrigam calcamenti eius. Et eandem vim habet vox Græca *ὁμοιωσις*, qua vtiur Cyrillus libro de Incarnatione Vnigeniti, & Damascenus libro 1. de fide, capite 13. & libro 3. capite 6. vbi etiam *ἐκείνου*, id eſt, inhumationem vocat. Hilarius vero in Prolog. Plalmorum corporationem, ſeu incorporationem appellat. Qua voce vſus etiam eſt Iſidorus ad Florentinam ſororem, capite 6. & Tertullianus lib. de carne Chriſti circa principium. Denique in ſymbolo Concilij Niceni habetur: *Et incarnatus eſt de Spiritu Sancto*, quæ vox aptiſſime ad hoc ſignificandum myſterium accommodata eſt. Primum, quoniam, quod difficilius videri poterat, ac remotius à Deo, illa voce indicatur hoc illum effeciſſe pro nobis, perſonam ſuam imperfectiori parti humanæ naturæ copulando. Propter quod 2. Timothei 3. dictum eſt: *Magnum eſſe pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne*. Deinde notatur eſt illo nomine, Deum infirmitates noſtras, & imbecillitates, quæ voce carnis ſignificari ſolent, aſſumpſiſſe: vt homini qui peccando ſpiritum amiſſerat, Verbum caro factum, eundem ſpiritum reſtitueret. Et propterea de Chriſto loquens Paulus ad Hebræos quinto inquit: *Qui in diebus carnis ſue, &c.* Vbi carnis nomine non quancunque, ſed paſſibilem carnem ſignificari plane conſtat. Terrio denique quoniam vera caro animam in ſe amplectitur: cum carnem viam animaram eſſe neceſſe ſit. Et ideo Incarnationis nomine conuenienter totius humanitatis aſſumptio ſignificata eſt. Quæ rationem indicauit Cyrillus in Epiſt. ad Neſto. quæ habetur in principio Concilij Ephēſi. & Tertull. lib. de carne Chriſti, cap. 6.

Reliquum eſt, vt nonnullos autores, ac præcipuos fontes, ex quibus hæc de Incarnatione doctrina poteſt hauriri, deſignemus. Ex Concilijs præcipue adeſt Ephēſi. quod in primo Tomo Conciliorum imperfectum habetur, integrum vero, ac perfectum, & in ſex Tomos diſtributum noſter Theod. Pelſtan. nobis illud reſtituit, in quo multa ex ſanctis Patribus ad hanc materiam vtiliſſima, ſcilicet diſſiſſima continentur. Ex generalibus præterea Concilijs videnda ſunt Chalcedon. & Lateran. ſub Martino I. ex provincialibus Carthagin. 4. Toleta. 14. 6. & 11. vt alia omittam, quæ obiter hoc attingunt, & cuilibet obuia facile eſſe poſſunt. Quin etiam hoc pacto ſancti Pontifices in ſuis epiſtolis decretalibus hæc de re multa tetigerunt: ſed duæ notantur præcipue, altera Agapiti ad Antimum, altera Leonis ad Flauia, quæ eſt numero 10. de qua Gelafius Papa reſtat illuſtre illud, anathemate damnandum eſſe, quid vel vnum illius tota in dubium reuocaret.

Fr. Suarez Tom. 1.

Multi deinde ſanctorum Patrum varia opera de hoc myſterio incarnationis nomine, aut alio ſimili conſcripſerunt. Athanaſius præſertim Fulgentius, Ambroſius, Cyrillus Alexandr. qui in explicando ac confirmando myſterio hoc, fere totam operam conſumpſit, theſaurum maximè librorum de fide ad Theodolum atque Reginas. Tum demum alia, quæ in Ephēſin. Concilio referuntur. Caſſianus ſcripſit ſeptem libros contra Neſtorium ad Leonem Papam. Legi etiam poſſunt homilia Diui Bernardi ſup. Miſus eſt, & conciones D. Leonis de Natiuitate & Paſſione. Et alij etiam Patres in ſimilibus concionibus de Chriſto & Beata Virgine multa docuerunt, quæ in ſequentibus latius percurramus. Doctores ſcholæſtici cum Magiſtro hanc materiã tractant in tertio libro ſententiarum: nos vero in ea explicanda ordinem quaſtionum, & articulorum D. Thomæ, quem exponendum ſuſcepimus, obſeruabimus. Hac tamè ſeruata ratione & methodo, vt prius breuem expoſitionem, ſeu Commentarium literæ, ſi obſcurum aliquid vel notatione dignum in illa occurrerit, præmittamus. Deinde proprias diſputationes, earumque ſectiones (hoc enim nomine ad vitandam confuſionem vtemur) ſubiiciemus. Denique ſingulæ diſputationes textui Diui Thomæ accommodatæ, omnes inter ſe ita connectentur, vt non modo intelligentiæ, ſed etiam ſtudioſo Lectori ſemper conſulatur, in cuius gratiam duo proxima capita, tanquam firmiſſima totius reliquæ diſceptationis fundamenta, ante expoſitionem D. Thomæ, duximus eſſe præmittenda.

DISPUTATIO I. CONTRA IUDÆOS, in quatuor ſectiones diſtributa.

Meſſiam iam veniſſe.



C in primis quid nomine Meſiæ ſignificetur, explicandum eſt. In hoc enim nos cum Iudæis conuenimus, illo nomine appellari, quendam hominem ex gente Iudæorum ducentem originem, à Deo, & Prophetis prædictum & promiſſum, in Regem & Saluatorem hominum, cuiusmodi promiſſiones tam frequentes ſunt, & apertæ in Scripturis ſacris, vt ſuperuacaneum ſit illas commemorare, præſertim quia oſtendendo fuiſſe completas, neceſſario illas indicabimus: appellatus autem eſt Meſias, vt pote futurus verus Rex, & Sacerdos, & Deus & homo, oleo diuinitatis vnctus. Pſal. 44. Meſias enim Hebræice idem ſignificat, quod Græce Chriſtus, Latine vnctus, vt ſate Engubius libro 3. de arcanis, c. 2. Hunc ergo Meſiam promiſſum iam veniſſe, nullus qui Chriſtiano nomine gloriatur, quantumuis hæreticus negare poteſt, cum quia hoc potiffimum diſtat Chriſtiana fides ab Iudæorum perfidia: tum etiam quia Chriſtus diſcretis verbis id affirmauit Io. 4. cum enim Samaritana dixiſſet: *ſcio quia Meſias veniſti, qui dicis Chriſtus*. Dixit ei Ieſus: *Ego ſum, qui loquor tecum*. Et hanc veritatem inter alias confeſſus eſt Petrus illis verbis: *Tu es Chriſtus filius Dei viui*, Matth. 16. Itaque ſolum contra Iudæos ex veteri Teſtamento, quod ipſi duntaxat admittunt, hæc veritas confirmanda eſt.

SECTIO I.

De teſtimonio Genef. 49. Non auferetur ſceptrum de Iuda &c.

Ergo celeberrimum teſtimonium, quod Iudæis obici ſolet, ſumptum ex Genefi 49. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, nec dux de femore eius, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe eris expectatio gentium.*

A 2

Quæ

Patres & Doctores qui de Chriſti Incarnatione ſcripſerunt,

Ordo Autorum,

Meſias quid ſignificet,

Engub.

Ioan. 4.

Matth. 16.

Genef. 49.

Quæ verba in Hebræo leguntur sic: *Non recedes sce-*

ptum de Iuda, & scriba legulator de medio pedum eius,
seu de inter pedes eius, donec venias Siloh. Vnde quoniam
in Hebræo non est expressum nomen Melsiæ, He-

*Iudaorum
ignorantia.*

braei in hoc eludendo testimonio diuisi sunt. Nam
quidam illorum quamvis pauci, negant prophetiam
hanc impletam esse, cum nondum tribus Iuda sce-

*Impugnatur
Iudaorum
expositio.*

ptro suo, ac regno priuata sit, adhuc enim in Baby-
lone transmigrationis capita, vt ipsi loquuntur, &
locum Regum tenent, atq; in Iudæos toto orbe dis-
persos, potestatem dominandi. Sunt vero qui aliã
rationem reddunt, scilicet, quia licet sceptrum ab-
latum fuerit à tribu Iuda, non tamen est translatum
ad aliam tribum. Hoc enim modo putant esse pro-
phetiam intelligendam. Sed hæc irridenda potius
sunt quam impugnanda, quia in scriptura nusquam
reperitur in aduentu Melsiæ transferendum sceptrũ
ad aliam tribum, sed solum tribum Iudæ scepro
carituram, dicere ergo aliud esse spectandum & vo-
luntarium, & vanum est: nec minus commentitium
est fingere sceptrum nescio quod in ciuitate Baby-
lonica, funditus enim euerfa est, vt prædixit Isaias
cap. 13. & 14. quod ibi bene Hieronymus aduertit,
& quamvis in ea provincia Iudæi multi dispersi re-
periantur tamen nec principatum, aut regnum obti-
nent, nec illius in orbe terrarum vlla mentio aut
fama circumfertur, aut certe vestigium inueni-
tur.

*Isai. 13. 14.
Hieronym.*

*Alia He-
braeorum
expositio.*

Maiores igitur recentiorum Hebræorum pars cum
negare non possit Prophetiam hanc esse comple-
tam, negat tamen in ea esse sermonem de Melsiã.
Siloh enim (vt ipsi aiunt) non personam aliquam,
sed locum significat, in quo multo tempore mansit
arca Dei, vt constat ex libro Regum 1. Vnde quidam
eorum de Saule intelligunt hunc locum, quia in Si-
loh vnctus est in Regem, quod significari dicunt illo
verbo, *Donec veniat Siloh.* Sed errant aperte, nam per
id tempus sceptrum regium à domo Iuda minime
defuit, quippe vsque ad Dauid illud nunquam obti-
nuit. Quod si non de regno, sed de alia potestate in-
dicandi, vel regendi populum loquamur, multo an-
te Saulem, toto videlicet tempore Iudicum, caruit
hæc dignitate tribus Iudæ: si autem tantum sermo sit
de singulari quadam dignitate & nobilitate tribus
Iudæ inter omnes alias Iudæici populi, ab hac non
cecidit illa tribus, tempore Saulis, magis quam antea
cecidisset. Præsertim quia verba Prophetiæ, nullo
modo possunt Sauli accommodari, vt statim de illo,
aliisque dicitur. Denique sine scripturæ fundamen-
to dictum est Saulem vnctum esse in Siloh, quia eo
tempore arca Domini iam non erat in Siloh, sed in
Cariathiarim. 1. Reg. 7. vnde cap. 9. Vnctus dicitur in
terra Suph, seu in Masphat.

Regum 1.

Refutatio.

1. Reg. 7.

3. Expositio.

*Refutatio.
3. Reg. 12.*

4. expositio.

*4. Reg. 25.
Cyrill.
Refutatio.*

Alij dicunt impletam esse Prophetiam tempore
Ieroboam, quo tempore diuisum est regnum: sed
isti nec explicare possunt, cur tempore Ieroboam
dicatur venisse Siloh, cum nec ille fuerit coronatus,
aut vnctus in Siloh, sed in Sichem. 3. Reg. 12. nec alia
verba prophetiæ Ieroboam, magis quam Sauli con-
ueniant: adde eo tempore non fuisse ablatum sce-
ptrum de Iuda licet fuerit aliquantulum imminu-
tum. Alij denique referunt hoc vaticinium ad Na-
buchodonosor, quando tempore Sedechiæ Regis,
captiuum duxit populum in Babylonem & regnum
Iudæorum extinxit. 4. Regum. 25. quam euasione
ex Iuliano apostata refert Cyrillus lib. 8. contra il-
lum: sed eisdem fere modis refellitur, tum quia nul-
la ratio reddi potest, cur Nabuchodonosor dicatur
Siloh, aut cur tempus regni eius hac voce significetur:
tum etiam quia (vt infra ostendetur) eo tempo-
re sceptrum omnino ablatum non fuit, neq; dux de
Iuda, tum denique quia nec Nabuchodonosor, nec
Ieroboam, nec Saul, gentium expectatio dici vnquã
potuit, nec in illos cadunt verba, quæ subduntur
statim, lauabit in vino stolam suam, & in sanguine

vera expositio.
Primum igitur omnium certum sit nomine Si-
loh significatum esse Melsiam, vt omnes Catholici
intelligunt, & Rabini etiam Christo antiquiores, vt
Galatinus refert libro 4. capite 4. & Chaldaica para-
phras, quæ apud illos magnæ autoritatis est, ex-
presse posuit, donec veniat Melsias, & quæ antecede-
dunt omnia, quæq; sequuntur, aptissime illi conue-
niunt. Nam propter Melsiam illa tribus cæteris
prælatæ est. Quod significauit Iacob cum dixit,
Siloh quid Iuda te laudabunt fratres tui, Et quæ sequuntur alia,
quæ sine illo negotio de Christo intelliguntur. Imo
accommodari alteri nullo modo possunt, vt bene
exponit Irenæus, lib. 4. cap. 33. & Cyprianus epistol. 63.
alias lib. 2. epistol. 3. Iustin. Mart. Dialog. contra
Triphon. & autor quæstionum ad Antiochum, quæ
referuntur nomine Athanasij, quæst. 103. Sed et
Melsias nomine Siloh, significatus est? Vulgatus in-
terpres nomen Siloh à verbo salah quod, mitto,
significat deduxit, quo quidem missum seu mittend-
um significat, quod nomen in scriptura accom-
modatur Melsiæ, quasi per antonomasiam, vt que-
madmodum ille singulariter promissus est: ita no-
mine venturi singulariter significetur. Verum est
tamen aliis literis scribi apud Hebræos verbum Si-
loh, quando missum significat, quam in hoc loco
Genesis habeatur, vt de nomine Siloh videre est Isai. 8.
8. Fortasse tamen noster interpres eisdem literis
scriptum inuenit, sed etsi scribarur eo modo, quo
nunc habetur in Hebræo abundantiam pacis signifi-
cat, vt illius linguæ periti testantur: & ita Siloh
idem erit quod pacificus seu pacem adducens. Quod
de Melsiã Zachar. 9. & sæpe ab Isaiã prædictum est.
Dicitur etiam vox illa significare specialiter filium
mulieris. Vnde Galatinus supra refert Hebræos et-
iam intellexisse eo verbo indicatum mysterium
conceptionis Melsiæ ex femina sine opere viri.
Quam interpretationem Caicæanus super Genesin
commendat. Alij denique in duas partes diuiden-
dam censent dictionem illam Siloh, vt significetur,
quod illi, aut cui illi. Quam lectionem, seu interpre-
tationem sequuti videntur septuaginta, quia ad ex-
plicandam concisam loquutionem Hebræicam ad-
diderunt, donec veniant reposita ei, seu donec veni-
at, cui repositum est, & sensus in idem redit, scili-
cet, non defecturum temporale sceptrum Iudæ, do-
nec veniat ille cui æternum sceptrum reueretur
est. Vt recte Athanasius lib. de Incarnatione Verbi
in fine, & libro de cruce & Passione Domini, in fine,
& Hieronymus in Epitaphio Pauli, seu epistola. 27.
tom. 1.

Galatin.

Melsias & Siloh quid

significat.

hen. 1.

Cyprian.

Iustin.

Zachar. 9.

Galatin.

Caicæanus.

Athanas.

Hieronym.

tom. 1.

*Difficultas
lois proponi-
tur.*

101.

impli-

implicite prædictum verbis illis, quod ex vi verborum explicite non affirmatur. Clare enim dicitur, non esse auferendum sceptrum à domo Iudæ, donec Messias veniat: fore tamen post aduentum eius auferendum, nec expresse asseritur, nec illa particula, donec, habet in scriptura talem vim, ut satis constet ex Matth. 1. Non cognouit eam donec peperit. Et Psalmo 109. Donec ponam inimicos tuos, &c. Quamquam vero, id expresse non sit prædictum: tamen si in re ipsa ostenditur ablatum sceptrum à Iuda signum euidentis eius aduentus Messie. Vnde licet vis verborum id non requirat, tamen considerata intentione Spiritus sancti eiusque Prophetæ, ut scilicet haberemus signum certum aduentus Messie, recte dici potest: hoc etiam in illa Prophetia implicite contentum. Tria ergo explicanda super sunt, scilicet, quando tale sceptrum Iudæ datum fuit, ut obiter etiam intelligatur, qua ratione impleta fuit Prophetia illa ab eo tempore, quo dicta est, vsque ad David. Secundo, qua ratione durauerit illud sceptrum in Iuda vsque ad Christum. Tertium, qua ratione illo ipso tempore ablatum sit. Et in his explicandis, præcipue in secundo, disidium est ortum, tum ex varia intelligentia illius sceptri vel ducatus, tum ex varia etiam explicatione seu acceptione nominis Iuda.

1. Exposit. Prima ergo expositio non de regno, seu regimine temporali, sed de speciali quadam dignitate & prerogatiua, quam tribus Iudæ habuit erat in suo populo propter spem Messie ex illa venturi, intelligit hunc locum. Itaque solum ibi prædicitur tribum Iudæ fore digniorem inter omnes propter spem Messie. Vnde sit statim ab eo tempore, quo dictum fuit hoc vaticinium, incepisse tribum illam habere sceptrum, & dignitatem hanc. Ita Caietanus in Genes. qui addit iuxta expositionem hanc in aduentu Messie non fuisse tribum Iudæ priuatum illo scepro, sed in illo potius confirmandam.

Disputatio. Vnde videtur per sceptrum intelligere tantum spirituale regnum Christi in spe possessum, vel in re: sed hæc expositio in hoc sensu mihi non probatur. Nam iuxta illam etiam nunc dicent Iudei se non esse priuatos scepro & dignitate, quia adhuc retinent illam spem ex illis venturi Messie, & ita nullum ex hoc loco poterit sumi argumentum, aut signum aduentus illius: quod est contra omnium patrum expositionem supponentium in aduentu Messie defecisse sceptrum à domo Iudæ. Et hoc putant esse signum certum aduentus eius, & ideo explicant, quomodo vsque ad illud tempus in ea durauerit. Si ergo certum nomine sceptri seu virgæ significari regiam potestatem, ut frequens est in scriptura iuxta modum loquendi Hebræorum, ut Psal. 44. Virga aequitatis virga regni tui. Itai. 9. Virga humerietus & sceptrum exactoris eius superasti. Et quamuis aliquando significare soleat spirituale regnum, tamen hoc loco ut visum est ex communi patrum expositione, quæ apud antiquos etiam Hebræos communis fuit, ut Galatinus supra refert, significat temporalere regnum illius populi, vel saltem generatim potestatem regendi & gubernandi populum, quæ etiam nomine ducis significata est, siue hæc duo idem significant in hoc testimonio, siue res diuersas, quod nunc non refert, & in sequentibus amplius exponetur.

2. Exposit. Secunda ergo expositio est, hoc loco prædictum esse regnum Iudæorum futurum fuisse in tribu Iudæ, & in illa permanfurum vsque ad Christum. Et primum quidem non fuit impletum vsque ad David, nec amplius requirit veritas huius Prophetie, quia non dixit Iacob, statim dandum esse regnum illi tribui, sed solum aliquando futurum, ut sceptrum regni ad tribum Iudæ pertineret, atque in illa ex eo tempore vsque ad Messie aduentum perseveraret.

Fr. Suarez. Tom. I.

A Hoc vero posterius, in quo consistit difficultas rei, quomodo à captiuitate Babylonica vsque ad Christum verum fuerit, ita explicatur. Nam etiam post trigefimum septimum annu captiuitatis Techoniz, nomen & dignitatem Regis obtinuit. 4. Regum 25. 4. Reg. 25. & postea in reedificatione templi, tempore Cyri, Zorobabel princeps Iudæ, erat princeps & dux totius populi Aggæi. 1. & Zachar. 1. & ut Hebræi tradunt, ut refert Genebrardus lib. 2. Chronog. ab illo vsque ad Machabæos, nunquam defuerunt duces de tribu Iudæ, quamquam regio diademate, propter Persas nunquam vterentur. Atque ita in historiis, eorum successio & genealogia, fere prætermittitur. Quia eo tempore maior autoritas in pontificibus residebat, ut Iosephus ait lib. 11. antiquitat. cap. 7. Postea vero Machabæorum tempore, summa reipublice Iudaicæ, ad eos translata est, & in eorum successoribus, vsque ad Christum perseverauit. Hos autem Machabæos fuisse de tribu Iudæ, testes sunt Cyril. lib. 3. contra Iulianum in principio, ubi sic ait: Quomodo igitur cessasse dicitur regnum David in Sede, hia, cum Zorobabel, post captiuitatis tempus, in regni solio conderis, fueritque tribu Iudæ & David, transmissum, sit sceptrum per posteros illius, vsque ad regnum Herodis, qui fuit ex parte alienigena?

Idem sentit Hieronymus Sophoni. 1. Epiphanius contra hæreses, in 29. prope ab initio. Et Augustinus lib. 18. de ciuitate cap. 45. & sumitur ex Iosepho lib. 13. cap. 15. vsque ad lib. 18. & Nicephoro lib. 1. historiarum, cap. 9. & Galatinus supra refert idem ex Hebræorum traditione.

C Quoniam vero constat ex libris Machabæorum, Machabæos fuisse sacerdotes, & summos Pontifices, & consequenter de tribu Leui, & familia Aaron. Ideo communis sententia est, eos fuisse secundum lineam paternam ex tribu Leui, iuxta maternam vero ex Iudæ: miscebantur enim illæ tribus, ut constat ex 1. Paralipomen. 2. & ex aliis vulgaribus scripturæ locis, & dicemus infra latius, ageres de Christi genealogia. solum inuenio Genebrardum asserentem è contrario illos fuisse de tribu regia per lineam paternam: de sacerdotali vero per maternam. Quod sine probatione affirmat, solū fortasse, quod non satis illi visa est materna origo, ut posteri dicantur esse de tribu Iudæ, atque adeo nec ut ea ratione dicatur sceptrum in illa tribu permanisse. Vnde etiam cap. 5. lib. 1. Machabæorum, de Machabæis dicitur: Et viri Iudæ magnificati sunt valde. Quamuis alia lectio habeat: & viri Iudæ & fratres, &c. Sed debuisset aduertere Genebrardus multo minus posse sufficere maternam lineam ex tribu Leui, ut possent Machabæi esse sacerdotes. Paulus enim ad Hebræos 7. simpliciter negat, sacerdotium posse pertinere ad eos qui erant de tribu Iudæ, quod simpliciter & absolute intelligendum est, id est, secundum paternam originem, nam per maternam lineam nihil obstabat, quo minus sacerdotes descenderent de tribu Iudæ: & ideo, ut ipse fatetur, communis traditio Hebræorum est, Machabæos solam maternam originem habuisse ex Iudæ. Sed hinc oritur insinuatæ obiectio, contra hanc expositionem, quia hoc non satis videtur, ut sceptrum dicatur durasse in domo Iudæ, alias pari ratione dici potuisset, sacerdotium fuisse semper in tribu Iudæ, & e contrario, regnum fuisse in domo Leui, ac denique eadem ratione dici posset, beatam Virginem, solum secundum lineam maternam, descendisse de tribu Iudæ, quia hoc satis erit, ut Christus dicatur fuisse de eadem tribu.

Propter hæc, non desunt qui Prophetiam hanc: 3. Exposit. Non auferetur sceptrum de Iudæ, non absolutam, sed conditionatam esse intelligant, & per illam explicandam, quæ habetur Psalmo 88. & Psalmo 131. De fructu ventris tui, ponam super sedem tuam si custodieris.

runt filii tui testamentum meum. Et iuxta orationem Salomonis, quæ habetur 3. Regum. 8. *Conferua famulo tuo David patri meo, quæ locutus es ei, dicens, non auferetur de te vir coram me, qui sedeat super thronum Israel: ita tamen si custodierint filij tui viam suam, &c.* Ad hunc ergo modum intelligi potest, quod Iacob ait, non discessurum sceptrum à domo Iuda, si tamē testamentum Dei seruaret.

Turrianus.

Hanc expositionem refert noster Turrianus in libro 2. contra Antonium Sadelem capite 3. ex Theophane Episcopo Niceno in Symphonia veteris & noui Testamenti contra Iudæos. Et hoc sensu facile intelligitur (quamquam tribus Iuda fuerit regno priuata) nihil tamē actum esse contra hanc prophetiā, quia propter peccata & scelera sua priuata est, ut constat ex Ieremia 25. & 2. Paralipomen. 36. & 4. Reg. cap. 24. & 25.

Obiectio.

At enim dicit aliquis, expositionem hanc auferre rotam vim huic testimonio contra Iudæos: quia si prædictio tantum erat conditionata, ex eo quod Iudæi scepro ac regno priuati sint, non recte inferri potest, Messiam venisse, sed solum illos peccasse. Propter hanc forsasse obiectionem, addit hic autor, licet principatus Regis interruptus sit, vel ablatum à Iuda propter peccatum: tamen principatum ducis semper durasse, ut secunda & communis expositio affirmat. Vnde indicat priorem partem huius Prophetiæ, quæ illis verbis continetur: *Non auferetur sceptrum de Iuda, conditionatam esse.* Posteriorem vero scilicet, *Et dux de femore eius, esse absolutam.* Præuidens enim, inquit, Iacob sceptrum defuturum propter peccatum, addidit saltem ducem semper de Iuda futurum. Et iterum hæc sententia multum distinguit inter sceptrum & ducem. Quomodo autem principatus ducis interruptus non fuerit, explicat probabili modo infra explicando.

Refutatio expositionis.

In hac vero expositione, illud in primis est valde difficile, quod voluntariē affirmat principatum regium potuisse interrumpi propter peccatum, non vero principatum ducis, cum ex verbis Iacob, non magis colligi possit, alteram partem esse conditionatam, quam alteram. Et reuera locutio illa, *Dones veniat qui mittendus est, in neutra parte commode admittit sensum conditionatum, quia si illa esset tantum quædam promissio conditionalis, impleta conditione, id est, non existente idololatriæ peccato non auferetur sceptrum propter solum Messie aduentum, existente vero conditione, etiam si nondum venisset Messias, ablatum esset, sine causa ergo dictū esset, donec veniat qui mittendus est.* Non fuit ergo illa promissio conditionata, sed prædictio absoluta euentus futuri.

4. Expositio.

Propter has difficultates exponi solet ab alijs hic locus non de scepro regni, sed de potestate iudicandi, seu de concilio sapientum, quod ab Hebræis dicitur Sanhedrin, quod erat quali supremus quidam Senatus & concilium regale, in quo principales causæ illius populi terminabantur, de quo plura iudicia in Scriptura sacra reperiuntur. Iacipisse enim creditur hoc sanhedrin, in illis septuaginta viris quos Deus congregare fecit, deditque illis de spiritu Moysi, ut cum illo onus regendi populum sustinerent, & hi censentur esse illi septuaginta viri, quibus secretiora mysteria legis & Scripture sacre committebantur. 4. Regum. 14. ut insinuant Hilarius Psalm. 2. & Origenes homil. 6. in Num. Et de illis intelligi potest illud Deuteronomio. 17. *Si difficile aut ambiguum apud te iudicium esse perspexeris: ascende ad locum quem elegerit Dominus, &c.* Et 1. Paralipomen. 26. in qua parte domus erat seniorum concilium. Hoc vero sanhedrin non fuit ablatum tempore captiuitatis, ut sumi potest ex Daniel. 1. 3. ubi senes populi iudicantur Susannam. Vbi Glossa, & Lyranus

Glossa.
Lyr.

aduertunt, illos fuisse de tribu Iuda. Et idem durasse vsque ad tempora Christi Domini. Tunc vero tempore Herodis cessasse, & Iudæis ablatam esse hanc supremam potestatem iudicandi, referunt ex traditione Hebræorum Genes. & Galat. supra, idque confirmant ex illo verbo Ioan. 18. *Nobis non licet interficere quemquam.* Per legem enim licebat in causa iusta, quia potestas illi non deerat, ut patet ex Deuteronomio. 17. Ergo non licebat, quia Romani, vel Herodes illos potestate priuauerant: sed quamuis hæc omnia licet non satis certa sint, vera esse concedam, non tamen ostensum est, nec ex sacra Scriptura, aut traditione aliqua probatur, hos septuaginta viros aut maiorem eorum partem, aut eorum ducem seu præsidem fuisse de tribu Iuda, ut propterea perseverante hoc Concilio, dicatur perseverare princeps seu dux de tribu Iuda, Numerorum enim 11. simpliciter dicuntur illi septuaginta viri electi de senioribus Israel. Et illis eo tempore præfuit Moyses, ut ex eodem loco intelligitur, & Hebræi tradunt, & verisimile est semper illis præfuisse summos sacerdotes. Nam Deuteronomio. 17. clare dicitur hoc iudicium ad sacerdotes pertinuisse. *Ascendes, inquit, ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus Veniesque, ad sacerdotes Leuitici generis.* Et infra. *Qui autem superbiuerit nolens obedire sacerdotis imperio, &c.* Quamuis ergo sanhedrin durauerit vsque ad Christum non inde sit durasse sceptrum in domo Iuda.

Genebr.
Galatinus.

Quamobrem Eusebius quem alij sequuntur, existimauit Iudam cui promissa est possessio scepro vsque ad Christum, non esse intelligendam specialem tribum ab alijs vndecim distinctam, sed totum Iudaicum populum, ut in illa tribu maxime conseruandus erat, & ab ea nominandus & nobilitandus. Sensus ergo est, Iudaicum populum semper fuisse habiturum proprios duces & principes, per quos gubernaretur & iudicaretur donec Messias veniret. Et ita factum est vsque ad Herodem, qui alienigena fuit, cuius tempore natus est Christus, & ab eo tempore semper gens illa caruit proprio duce & gubernatore, & externis principibus subiecta est. Ita Eusebius libr. 3. de demonstrat. cap. 2. Idem sentit Iustin. Dialog. contra Triphon. & August. 18. libro de Ciuitat. cap. 45. cum inquit, non ergo desecit Iudæorum principes ex Iudæis vsque ad Herodem. Et Ambros. lib. de Benedict. Patriarch. cap. 4. similia verba habet, & Chrysost. homil. 67. in Genes. Sed nihilominus expositio hæc violenta nimis esse videtur. Quia omnes illæ benedictiones figillatim ad singulos filios Iacob, & adeorum posteritatem pertinent, quod in omnibus alijs euidenter constat. Eodem autem modo in hac benedictione loquitur specialiter ad Iudam, vnde ad illum, & ad eius posteros specialiter pertinent cætera, quæ in eadem benedictione continentur, ut est illud, *Iuda te laudabunt fratres tui, & adorent te filij partu tui.* Quod dictum est propter Christum, qui dignus est perfecta patriæ adoratione, quem statim catulum leonis vocat, per eam metaphoram explicans filij personam, ut patres exponunt, qui propterea hic intelligunt Christum fuisse prædictum de tribu Iuda, ut patet ex Chrysostomo homil. 2. in Matth. igitur eadem ratione cum dicitur, *Non auferetur sceptrum de tribu Iuda*, non de toto Iudaico populo, sed de speciali tribu Iuda intelligendum est, ut intelligunt Eucherius, Chrysostomus, Albinus Diosdorus. & alij in Genes. & Epiphanius hæres. 20. August. 22. contra Faust. cap. 45. & Orig. homil. 37. in Genes.

5. Expositio.
Eusebius.

Eusebius.
Iustin.
August.
Ambros.
Chrysost.

Refutatio.

Chrysost.

Eucherius.
Chrysost.
Albin.
Epiphanius.
August.
Origen.

Retuli tot annorum sententias, non ut eas impugnarem atque rejicerem, sed quoniam omnes maiorem lucem huic testimonio afferre possunt, & ex singulis aliquid elici, quod ad maiorem illius intelligentiam conduceret. Igitur illud in primis simplici-

Auricio-
piter.Reg. 7.
6. 18.
Nota hac
datur.

Ioseph.

Numer. 1.
67.

Iudic. 1.

Paralip. 2.

placiter verius existimo, nomine Iudæ intelligenda esse specialia tribum, & intentionem Iacob fuisse, prædicere ex illa non defuturos principes aut duces populi Iudaici. Sed recordari oportet tempore Roboam gentem illam in duo regna fuisse diuisam, scilicet regnum Iudæ, & regnum Israel. Regnum autem Israel, quod decem tribubus constabat, plusquam quingentis annis ante aduentum Christi, ita fuisse vastatum à Salmanasar rege Assyriorum, ut nulla illius mentio ulterius haberetur, ut constat 4. Regum 7. & 18. unde fit solum regnum Iudæ permanisse vsque ad Christum. Quod quidem fere solum gentem ex tribu Iudæ complectebatur. Dicitur enim 4. Regum 12. solum tribum Iudæ securam esse domum David: Quia quamuis tribus etiam Benjamin infecta fuerit tribus Roboam, tamen non fuit integra sicut tribus Iudæ, vel fere non habetur ratio eius propter dignitatem & excellentiam tribus Iudæ. Unde in loco citato loco ex 3. Regum. inter alia sic dicitur: *Uratuq; est Dominus Israeli, & absulit eos à conspectu suo, & non remansit nisi tribus Iudæ tantummodo.* Unde notat Ioseph. lib. 11. antiquita. Iudæorum appellationem, tunc primum intelligenti, & regioni fuisse inditam, quando ex Babylonia captiuitate tempore Neemiæ reuersa est, propter hanc sortasse causam, quod sola tribus Iudæ illam regionem colere censebatur. Ex quo fit, fere idem esse mansisse sceptrum vel ducem in tribu Iudæ, & in populo Iudæ, quandoquidem totus ille populus fere ad solum illam tribum redactus est. Unde vix aut nullo modo fieri potuit, ut populus ille potestatem re regendi aut iudicandi retinuerit, quin vel omnino, vel magna ex parte ad tribum Iudæ pertineret.

Addere vero ad maiorem explicationem oportet, nomine sceptri & ducis, vel non esse intelligendam dignitatem & potestatem regalem proprie & perfecte sumptam, vel certe non solum illam, sed quamcunque primariam, & principalem potestatem iudicandi vel regendi populum: ita tamen, ut si vtramque significari dicamus, alteram nomine sceptri, alteram nomine ducis, non sit necesse intelligere tribum Iudæ habituram fuisse vtramque dignitatem vsque ad Christum, seu, quod idem est, neutra fuisse carituram: sed sensus erit, non fuisse carituram vtramque simul, atque adeo alteram saltem semper fuisse habituram, & hoc modo facile intelligimus dignitatem hanc & à principio fuisse in tribu Iudæ, & vsque ad Christum in ea perseverasse. Post aduentum autem eius omnino ab hac dignitate cecidisse. Prius enim quasi in honore habebatur, quia germen vitæ suis in lumbis continebat, postquam vero illud protulit, & illo frui, vel nesciuit, vel noluit merito sua dignitate priuata est. Quod ita ut dictum est, enenisse, & ex Scriptura sacra, & ex euentibus ipsis facile declaratur. Ut enim omittam tempus illud, quo post hanc prædictionem Iacob populus Iudæorum in Aegypto permanfit, de quo neque in Scriptura sacra, neque in prophana historia aliquid scriptum reperio, statim ac populus discessit ab Aegypto, cepit illa tribus cæteris anteferri. Numerorum enim 2. & 7. prima acies ad orientem tribui Iudæ cum copiis suis tribuitur. & cap. 9. prima omnium castra mouebat, & quasi agmen ducebat. Deinde numero 7. conuenientibus principibus tribuum ad offerenda munera, prius offert Naafon princeps Iudæ. Iudicum etiam 1. iussu Dei suprema potestas ad hanc tribum delata est post Iosue mortem. Et quodcumque genealogia tribuum referuntur, semper prima refertur Iudæ posteritas. 1. Paralipome. 2. & 3. & 4. alias. Unde etiam facile credibile fit, in illo Concilio septuaginta virorum primarios iudices fuisse de tribu Iudæ, quod præsertim, ac necessario dicendum est de eo tempore, quo regnum Iudæorum fere ad tribum Iudæ redactum est. Unde

fit hanc saltem dignitatem, vsque ad Christi aduentum in ea perseverasse. Accedit, præter hanc dignitatem à temporibus David habuisse supremam, ac regiam potestatem: quæ licet non perfecte in ea durauerit vsque ad Christum, quod necessarium non est, ut dixi, ad veritatem huius Prophetiæ, non fuit tamen penitus illa priuata: tum quia semper tribus illa ut regalis & præcipue honorata est: tum etiam, quia licet aliquando hæc potestas ad sacerdotes deriuata fuerit, hoc factum est, ut Theophan. supra dixit, quatenus tribus Leuitica per matrimoniorum coniunctionem una cum illa effecta est ab illa particeps facta est regalis splendoris & nobilitatis. Hoc ergo modo principatus Iudæorum in tribu Iudæ vsque ad Christum continuatus est, in Christi autem aduentu omnino cessauit non solum quia Rex alienigena Herodes, tunc regnare cepit in populo Iudaico: & quia Concilium Sanhedrin, sua potestate priuatum est, & ab altero Herode, cuius tempore mortuus est Christus, penitus extinctum: sed etiam quia paulo post in euerfione & captiuitate Ierusalem à Romanis facta, totus ille populus fere deletus est, & distinctio tribuum ita confusa, ut nulla dignitas, aut prærogatiua tribus Iudæam cerni autungi posset. Omnino ergo vanum & ineptum est adhuc ex illa tribu Messiam expectare.

Non prætermittam autem aduertere, nonnullos Iudæos hoc testimonio conuictos, Messiam venisse falsos esse: illum tamen fuisse Herodem falso fuisse mentitos, ut notant Hierony. contra Luciferian. Tertul. de præscription. c. 45. Epiphani. hæref. 20. qui aperte eos conuincit, quia neq; Herodes fuit de tribu Iudæ, neque in eum conueniunt alia, quæ tam in hoc, quam in alijs locis scripturæ de Messia dicuntur. Denique tempore etiam Vespasiani nonnulli tentarunt Prophetias de Christo datas, ad illum accommodare: in quem errorem inclinavit Ioseph. lib. 7. de bello Iudaico. cap. 12. confundens cum vero Messia ducem illum, quem ad euerendum sanæuarium, & ciuitatem venturum esse, Daniel. c. 9. prædixerat. Tradunt enim historiæ, hunc Vespasianum Christi regnum affectasse, ideoq; pacis templi erexisse, & per Magicas artes apparentia quædam prodigia effecisse, ut quæ de Christo scripta erant, in illo completa esse posset existimari. Sed nō est quod in hoc etiam explodendo errore immeremur, ex eisdem enim principiis facile refellitur: quia Vespasianus nec Iudæus fuit, neq; vllō modo ex tribu Iudæ, aut familia David, quin potius, ut Euseb. refert lib. 3. cap. 11. omnes posteros David, magna diligentia conquisitos, interficiendos curauit, ut cætera omittam, quæ in istum conuenire non posse manifestum est.

SECTIO II.

Secundum testimonium contra Iudæos, Ex Daniel.

9. Animaduerte, &c.

Secundum testimonium, sicut clarissimum, ita & vulgatissimum ad conuincendos Iudæos est, quod ex Daniel. 9. sumitur, ubi ortus Messie post septuaginta hebdomadas futurus prædicatur his verbis. *Animaderte sermonem, & intellige visionem. Septuaginta hebdomada abbreviata sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam: ut consummetur prauaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia: & vngatur Sanctus sanctorum. Scito ergo, & animaduerte, ab exitu sermonis, ut iterum adificetur Ierusalem, vsque ad Christum ducem hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt: & rursum adificabitur platea, & muri in angustia temporum. Et post hebdomadas sexaginta duas occiderit Christus, & non erit eius populus, qui eum negaturus est, & ciuitatem & sanctorum dissipabit populus, cum dux venturo, & finis eius*

A 4

passitas

Dignitas
tribus Iudæ

Theophan.

Hierony.
Tertul.
Epiphani.Daniel 9.
Vespasian
temeritas
Christi re-
gnum affe-
ctantis.
Eusebius

Euseb.